esset ac prelio Belus ante Ninum regnasset si quid regnandi cupiditate regna contermina inuasisset. In Assiria igitur preminerat dominatus Nini [illegible] caput erat. Illa Babilon quam edificauit Nemroth gigas contemptor dei ibi principium regni sui cuius cum gigantee ciuitatis nomen aptissimum est. id est confusio. In qua ciuitate primo primus appellatus est Belus pater Nini. regnauitque apud Assirios annis lxv. usque ad xxxiii annum Thare patris Abrahe. Quadragesimo quinto autem anno Beli regis Assiriorum cepit regnum Sicioniorum in quo regnauit primus Egialeus annos lii usque ad xlv annum Thare patris Abrahe. et ab eius nomine dicta est terra illa in qua regnauit Egialea. que hactenus Peloponensis nuncupatur.

Mortuo autem Egialeo. secundus regnauit Europs annos xlv. cuius xxxii. anno qui erat Nini xliii. et Thare lxx. natus est Abraham. In regno autem Egiptiorum sexta decima tunc erat potestas quam illi uocant dinastiam. ab hoc uero tempore imperabant eis Thebei tantum nonaginta annis. In Assiriorum uero regno mortuo Belo rege anno regni sui lxv. qui erat xxxiii. Thare patris Abrahe successit ei filius suus Ninus. qui in serie regum Assiriorum primus ponitur ut dictum est ceteris regibus fraudis ignaris et regnorum suorum finibus contentis ipse propagande dominationis libidine arma foras extulit. cruentam uitam annis quinquaginta bellis egit. Donec omnem Asiam excepta India sibi subiceret. Nouissime Zoroastem Bactrianorum regem eundemque magice artis ut ferunt repertorem pugna oppressum interfecit. De quo Aristoteles scribit quod uicies centum milia uersuum ab ipso condita indiciis uoluminum illius declarentur. Cuius uero arte multa post secula Democritus ampliauit. Ninus autem post expugnatam Asie orbem ictu sagitte interiit. Qui cum regnum Assiriorum ceteris potentius fecisset anno regni sui quadragesimo quinto condidit ciuitatem nominis sui Ninum quam Hebrei dicunt Niniue. regnauit quoque annis lii. decimo post quam natus est Abraham.

Anno igitur Nini regis Assiriorum xliii. et Europis regis secundi Sicioniorum xxxii. Natus est Abraham de Thare septuagenario. eodem quoque anno ceperunt Thebei Egiptiis imperare et hoc per annos xc.